



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Errores sectæ hominum intelligentiæ, & processus factus contra fratrem  
Vvillelmum de Hildenissem Carmelitam per Petrum de Alliaco Episcopum  
Cameracensem anno Christi MCCCCXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

*ERRORES SECTÆ HOMINVM  
intelligentiæ, & processus factus contra fra-  
trem VVilhelmum de Hildenissem ordinis  
beatæ Mariæ de monte Carmeli per Petrum  
de Alliaco Episcopum Cameracensem anno  
Christi MCCCCXI.*

**V**Niversis & singulis Christi fidelibus tam præ-  
sentibus quàm futuris præsentium nostrarum  
serie litterarum inspecturis Petrus miseratione di-  
vina Cameracensis Episcopus salutem in Domino  
sempiternam. Notum facimus quòd cùm nuper,  
quod non sine cordis turbatione referimus, rumor  
infestus devolutaque fama nobis intimarunt quòd  
abominabilis quædam secta, procurante satore ma-  
lorum operum, in villa nostra Bruxellensi diocesis  
nostræ Cameracensis damnabiliter insurrexerit, cu-  
jus sectæ detestabilis quendam Ægidium Cantorem  
vulgariter nuncupatum caput extitisse fama publica  
testatur, spinas in eadem inferendo, cordaque fi-  
delium à catholicæ fidei tramitibus sub simulata  
quodam sanctitatis specie retrahendo, nos, ut vi-  
pereos perfidiæ filios, ne gregi fidelium per oves  
morbidas gravior infligeretur corruptela, & ut præ-  
currentis famæ pernicies officij nostri pastoralis  
sentiret aculeos, hujusmodi sectam detestabilem  
& ipsius execrandos errores, ne spargerentur ulte-  
riùs, extirpare radicitus tentantes, ut super tanto  
crimine taciti non videremur, exemplo Dei cun-  
ctipotentis, qui Sodomorum mala, quorum clamor  
usque ad cælum pervenerat, omnia sciens priùs nec  
tradere vel judicare aliquem voluit quàm ipse ea  
quæ cum fidelibus testibus investigans, quæ audie-

rat opere comprobaret, nos ante veram justamque probationem neminem judicare vel damnare volentes, ac tam gravia sub dissimulatione pertransire nolentes, in primis de sequacibus ejusdem sectæ detestabilis inquirere fecimus veritatem, inter quos te fratrem VVilhelmum de Hildenissem ordinis fratrum beatæ Mariæ de monte Carmeli, nedum hujusmodi sectæ detestabilis, sed quòd alios errores etiam in fide catholica publicaveras tuis in hoc motibus inconsultis, adeo processit in publicum quòd tuæ levitatis errores inconsultos transire non potuimus incorrectos. Igitur te ad præsentiam nostram primitus evocari fecimus, articulosque plures sectæ detestabilis præmissæ, cujus complex & fautor dicebaris, aliosque publicos errores & assertos tibi fecimus judicialiter exhiberi. Quibus articulis ejusdem nephandissimi Ægidij Cantoris per te visis, auditis, & intellectis, hujusmodi conclusiones vel articulos, tamquam à fide catholica devios, erroneos, & hæreticam pravitatem continentes, abjurasti & reprobasti, scriptura propria firmando eadem conclusiones erroneas & velut hæresim sapientes reprobandas & à Christi fidelibus expellendas. Item super aliis, ut dicebatur, conclusionibus pluribus in prædicationibus tuis & privatis collationibus inconsultè publicatis & dogmatizatis, respondisti plures earundem cum juramento negando, alias autem diversis expositionibus tuis palliando & secundum sensum proprium, ut asserebas, exponendo; prout hæc ex tenore dictorum articulorum, propositionum, vel conclusionum, responsionumque tuarum possint apparere.

Nos igitur attendentes vulgarem infamiam, grave scandalum, suspicionemque vehementem quæ te super præmissis culpabilem auribus nostris asserbat, super eisdem articulis, conclusionibus, & propositionibus

bus, cum suis dependentiis circumstantiisque & con-  
 nexis, per fideles commissarios nostros ad hoc specia-  
 liter juratos, commissos, & deputatos inquiri manda-  
 vimus veritatem. Qui secundum datam à nobis for-  
 mam procedentes, plures testes utriusque sexus ad  
 probationem impositarum interrogaverunt, exami-  
 naverunt, & audierunt, eorumque dicta & deposi-  
 tiones per scribam & fidelem Notarium nobis & cu-  
 riæ nostræ juratum redigi fecerunt in scriptis, dieque  
 præfixa præmissam informationem reportaverunt pu-  
 blicandam. Qua per nos diligenter inspecta, pluri-  
 bus ad hoc clericis personis notabilibus utriusque  
 divinæ scilicet & humanæ scientiæ doctoribus &  
 graduatis per nos evocatis, à te si quid in dictos  
 testes contra te productos dicere, proponere, &  
 aliàs informationis præmissæ publicationem fieri  
 velles, inquiri fecimus, offerentes præmissorum  
 testium & informationis copiam in forma juris tibi  
 concedi, ac tuas, si quas haberes, tam contra di-  
 ctos testes quàm alias peremptorias facti vel juris  
 exceptiones seu defensiones audire, & ad eas pro-  
 ponendas diem & terminum competentem assigna-  
 re. Tu verò coram nostris ad hoc commissariis  
 asserens te filium Ecclesiæ manere velle fidemque  
 catholicam tenere, nullamque, si qua fortasse lapsu  
 linguæ vel aliàs temeritate tua dixeris, publicave-  
 ris, vel prædicaveris, pertinaciam habere velle, sed  
 ea quæ nobis & consilio nostro super his contra te  
 probata, quæ viderentur orthodoxæ fidei contraria  
 & adversa vel aurium piarum offensiva, non tam  
 devotè quàm humiliter revocare & annullare ac ea-  
 dem abjurare, ubi & quotiens nobis pro fide ca-  
 tholica videretur expedire, te sponte promisisti, ad  
 dicendumque & proponendum in dictos testes seu  
 defensiones aliquas vel exceptiones allegandas spon-  
 te renuntiasti, voluisti que, terminis juris omnibus

habitis pro observatis, & quantum potuisti eidem ordinique judiciario renuntiando, nostram super probatis ordinationem, diffinitivam sententiam audire volens, ut asserebas, super erroribus hujusmodi, super quibus infamatum te fore censebatur, purgari radicitus ordinationemque nostram humiliter & devotè tenere & firmiter ex intimis adimplere, ut nihil horum vestigij post ordinationem nostram in te notari possit, promifisti; ut ex actis & tenore processus hæc apparere possint. Die igitur contra promotorem officij nostri in hac parte tibi præfixa ad audiendum diffinitivam nostram sententiam & ordinationem, Christi nomine invocato, Deum, cujus causa agitur, præ oculis habentes, visoque tenore processus, & cum peritis utriusque juris divini pariter & humani communicato nobis consilio, præfente ad hæc venerabili viro Domino Priore conventus fratrum Prædicatorum sancti Quintini in Viromandia Noviomensis diocesis hæreticæ pravitatis Inquisitore per sedem apostolicam in eisdem civitate & diocesi Cameracensi sufficienter instituto per nos evocato propter hoc, cui hujusmodi nostrum processum contra te factum sufficienter communicavimus, de ipsiusque Inquisitoris consilio & consensu procedentes, te fratrem V Vilhelmum de Hildernissem supradictum, quia nobis constitit atque constat propositiones in divinæ majestatis offensam per sceleratissimum hominem illum Aggidium Cantorem publicatas, assertas, & collationibus privatis cordibus simplicium infixas fuisse & esse erroneas & scandalosas ac fidei catholicæ contrarias & adversas, super quibus suspectum te verisimilibus tenuimus conjecturis, ad easdem in forma juris coram nobis abjurandas easdemque reprobandas, clero convocato sollemniter hodie in nostra aula episcopali Cameracensi, & postmodum

in villa Bruxellensi, primò in loco publico, scilicet sanctæ Gudulæ Bruxellensis, & ulterius in loco Begutarum publicè & intelligibili voce, & ad hoc quod easdem abjures & reprobas. Quarum propositionum sequitur tenor in hæc verba.

Sequuntur illa super quibus ego frater V Vilhelmus fui delatus reverendo patri Domino Cameraensi Episcopo, quæ judicialiter abjuravi & adhuc abjuro, & quæ promisi & juravi reprobare, prout ea nunc publicè reprobabo, quia continent doctrinam falsam, erroneam, & hæreticam, bonorum morum corruptivam, scandalosam, & fidei catholice subversivam, & cujusdam novæ sectæ perniciosissimæ introductivam.

Et primò imitatores subscriptæ sectæ seu seductionis hæreticæ vocant se mutuò homines intelligentiæ, & habent duo capita à quibus languores diffusi sunt in pluribus membris suis. Vnum dictorum capitum vocatur frater V Vilhelmus de Hildernissem Carmelita. Aliud est quidam laicus illiteratus, fortè sexagenarius, dictus Ægidius Cantoris, qui se ipsum reputat excellentiorem dicto fratre V Vilhelmo, quibusdam suæ seductionis idem confirmantibus, alii tamen dictum fratrem V Vilhelmum præferentibus.

1. Item dictus laicus seductor dixit pluries repetendo pluribus audientibus: Ego sum salvator hominum; & per me videbunt Christum, sicut per Christum patrem.

2. Item dixit quòd diabolus finaliter salvabitur, sed tunc non erit diabolus, & superbissimus lucifer erit humillimus, & quòd finaliter omnes homines salvabuntur.

3. Item diabolus non portavit Dominum Iesum super pinnaculum templi.

4. Item dixit dictus Ægidius quòd ipso quadam vice eunte per viam, Spiritus sanctus inspiravit sibi

hæc verba: Tu es constitutus in statu pueri trium annorum. Non jejunabis, immo comedes lacticia in quadragesima. Quod idem cum aliis suis sectatoribus & sectatricibus continuat. Nec curant ipsi jejunare quando sine exteriori nota comedere possunt carnes feriis sextis & in quadragesima.

5. Item de statutis, præceptis, & ordinationibus Ecclesiæ non curant, nec de orationibus, dicentes quòd Deus facit quod disposuit facere & quod vult, nec est opus formandi orationes.

6. Item nec curant de confessione; sed solum ad præcavendum de vexationibus ostendunt se quandoque sacerdoti, aliqua quæ de se sunt venialia confitendo, subtacendo actus luxuriosos criminales & alia mortalia gravia quibus possent de infidelitate notari, prout aliqui ex ipsis retulerunt.

7. Item nullum rigorem pœnitentiæ admittunt, tenentes quòd talibus non indigemus.

8. Item est quædam inter mulieres hujusmodi sectæ quæ non permittit se ab aliquo cognosci. Propter quòd ab aliis sectæ prædictæ utriusque sexus multas patitur molestias eam increpantibus quòd non utitur actu carnalis copulæ.

9. Item dictus Ægidius habet modum specialem coeundi, non tamen contra naturam, quali dicit Adam in paradiso fuisse usum. Qualem modum prædictus frater Vilhelmus non sequitur.

10. Item sibi invicem idioma fabricantes, actum carnalis copulæ vocant delectationem paradisi vel alio nomine aclivitatem. Et sic de tali actu libidinoso, aliis non intelligentibus, bene loquuntur.

11. Item est quædam antiqua, quam dictus laicus vocavit Seraphin, quæ palam dixit quòd licet extra matrimonium coitum exercere sine peccato. Ille enim actus est purè naturalis, sicut comedere & bibere. Attamen ille actus reprobatur, & non isti.

Vnde satis ipsa miratur cum aliis de cœcitate hominum communiter hoc sentientium.

12. Item est quædam maritata quæ non facit differentiam inter virum & virum, sed quemlibet indifferenter admittit suis tempore & loco. Et istud est quasi commune inter illas.

13. Item dictus frater Vvilhelmus nemini ad plenum credit, nec quæ in se sentit exprimit, nisi illis qui sine Dei timore & conscientia scrupulo actu carnis copulæ utuntur.

14. Item frater Vvilhelmus omnia facta eorum posse saluari vel colorari per sacram scripturam, dempto coitu ab Ecclesia damnato. Et ergo consuevit monere sibi adhærentes quòd cautè haberent se loquendo de actu illicitæ copulæ conjugalis.

15. Item supradiçta Seraphin, dum aliqui loquebantur quòd frater Vvilhelmus compulsus erat revocare articulos quos prædicavit, respondit quòd ipse non revocavit, sed dixit, Ita non dixi, sed sic dixi, addendo vel subtrahendo syllabam vel dictionem suarum prædicationum, & sic transiit impune. Vnde magis reputabatur dicta sua confirmare quàm revocare.

16. Item omnes actus suos, immo & nefarios, referunt ad divinam voluntatem, dicentes Deum talia velle, non quidem tantùm permissiva ejus voluntate, sed beneplacita & efficaci.

17. Item extra muros Bruxellenses est quædam turris cujusdam Scabini dicti oppidi, ubi ad celebrandum sua conventicula conveniunt.

18. Item dicunt tempus veteris legis fuisse tempus patris, & tempus novæ legis tempus filij, & pronunc esse tempus Spiritus sancti, quod dicunt esse tempus Helia, quo reconciliabuntur scripturæ; ut quæ priùs tanquam vera habebantur, jam refutentur, etiam & catholica doctrina, sicut catholicæ ve-



ritates, quæ consueverant prædicare de paupertate, continentia, obedientia. Quarum veritatum oppositum, ut asserunt, est prædicandum hoc tempore Spiritus sancti.

19. Item quicquid eis inspiratur seu ad intima suggeritur, æstimant quòd sit à Spiritu sancto. Unde multùm fatua sæpeditus laicus sæpius attentavit. Nam propter quandam sibi factam inspirationem iuit totus nudus quadam vice per longam viam, portans super caput suum scutellam cum carnibus deferendam cuidam pauperi.

20. Item mirantur quòd aliqui signant se signo crucis, petendo: Estis vos adhuc benedicendus?

Item persuaserunt imitatores prædictæ sectæ, & præcipuè mulieres, aliquibus probis viris quòd de cetero nec publicè nec occultè prædicarent castitatem aut virginitatem, nec recommendarent continentiam, asserentes etiam nullam esse virginem, unam tantùm dempta, quam dicunt esse sapientiam.

21. Item de purgatorio sunt contrarij Ecclesiæ. Similiter de inferno. Et habent quendam singularem & fictum modum loquendi de illa materia.

Item ad quæstionem quando ab eis quæritur quid responderent si eis imponerentur credulitates supradictorum articulorum, respondent quòd negarent.

Item & quia ex fide dignorum depositionibus testium constitit te plures propositiones & conclusiones erroneas & à fide devias in eadem villa Bruxelensi & diocesi nostra prædicationibus publicis asseruisse collationibusque privatis inconsultè per te factis cordibus fidelium, quantum in te fuit, inseruisse, ad easdem abjurandas & revocandas loco & modis priùs expressis, in formaque & tenore in quadam cedula per nos seu nostros tibi tradenda, nostrorum in hoc Notariorum signis signata, quarum etiam propositionum tenor sequitur in hæc verba.

*Sequuntur propositiones falsæ, erroneæ, & hæreticæ,  
per me fratrem Vvilhelmum in forma  
quæ sequitur revocandæ.*

**P**rima propositio, quòd omnes Christiani, Iudæi, pagani, & etiam diaboli salvabuntur, omnesque ad Deum revertentur, & erit unum ovile & unus pastor, & finaliter erit una generalis salvatio. Probavi, quia Christus satisfecit pro omnibus. Item omnes gentes sunt benedictæ in Christo, & benedictio Dei manebit. Ergo finaliter omnes salvabuntur in Christo. Hanc revoco tamquam falsam, erroneam, & hæreticam, quia est contra illud evangelij: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Item multi decedunt in peccato mortali, & tales non salvantur. Item Iudæis & paganis patet per illud scripturæ sacræ: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum calorum.*

Secundam propositionem, quæ sequitur ex præmissis, Aliquando infernus non erit, revoco tamquam falsam & hæreticam, quia est contra illud evangelij: *Ibunt ij in vitam aternam, ij autem in ignem aeternum.*

Tertiam, quòd dicunt se habere velle, nihil est, Deus enim totum facit, & omnia sive bona sive mala sunt voluntate divina, & conveniunt ita esse, revoco tamquam falsam & hæreticam & piarum aurium offensivam.

Quartam, quòd nullus homo purus in via actibus suis meretur aliquid vitæ æternæ, sed Christus solum, qui in cruce omnia meruit, revoco tamquam malè sonantem & piarum aurium offensivam atque erroneam & hæreticam.

Quintam, quòd illud quod homo agit non cedit sibi ad meritum vel demeritum nec ad salvationem

vel damnationem, sed passio Christi satisfecit pro omnibus; hanc revoco tamquam falsam, periculosam, & scandalosam, atque erroneam & hæreticam.

Sextam, quòd homo exterior non maculat hominem interiorem, revoco tamquam falsam & malè sonantem.

Septimam, quòd homo interior non damnabitur, similiter revoco tamquam falsam & malè sonantem.

Octavam, quòd in ornatu vestium nulla est culpa, revoco tamquam malè sonantem & malè ædificativam: quia licèt in ornatu vestium non sit peccatum, potest tamen ornatus vestium esse causa & occasio peccati.

Nonam, quòd reprehendentes peccatores veleso judicantes plus peccant quàm reprehensi vel iudicati, revoco tamquam falsam & malè sonantem totiusque fraternæ correctionis destructivam.

Decimam, quòd prædicationes & doctrinæ antiquorum sanctorum & doctorum cessabunt, & supervenient novæ, & quòd scriptura clariùs revelabitur quàm huc usque notificata sit, & quòd Spiritus sanctus clariùs illuminabit intellectum humanum quàm huc usque fecerit, etiam in Apostolis, qui non habuerunt nisi corticem, & quòd instabit tempus quo revelanda erit illa lex Spiritus sancti & libertatis spiritualis, & tunc præsens lex cessabit, istam revoco tamquam erroneam, temerariam, & hæreticam.

Vndecimam, quòd Presbyteri audientes confessiones non remittunt peccata, sed Christus, ex eo quòd peccator non potest dimittere peccata, revoco tamquam falsam, erroneam, & piorum aurium offensivam.

Duodecimam, quòd pluries asserui me habuisse revelationem, & in ea me à Deo fuisse amplexatum

& illuminatum, & quòd tunc habui gaudium de securitate æternitatis, & quòd licèt illud gaudium citò transferit, tamen remansit in me securitas de æternitate, & quòd ex tunc clariùs & aliter intellexi sacram scripturam quàm antea, unde & quandoquè asserui quòd mallet prædicare secundùm sensum proprium & intellectum meum quàm secundùm scripturam. Ista revoco tamquam periculosè & præsumptuosè asserta & piis auribus malè sonantia. Et est verisimile quòd ista mihi fuerunt aliorum errorum occasio.

Tertiam decimam, quòd Deus est ubique in lapide, membris hominis, & in inferno, sicut in sacramento altaris, & ideo quilibet habet Deum perfectè antequam communicet, revoco tamquam falsam & supersticiosam: quia licèt Deus sit ubique & in qualibet re secundùm ejus essentiam, veruntamen in sacramento altaris specialiori modo, utpote sacramentaliter, existit, quo modo non existit in aliis rebus creatis.

Quartam decimam, quòd nullus potest sacram scripturam perfectè intelligere nisi Spiritus sanctus esset in eo, revoco tamquam falsam & erroneam; quia stat quòd aliqui peccatores meliùs intelligant sacram scripturam quàm multi simplices habentes Spiritum sanctum & gratiam Spiritus sancti.

Quintam decimam, quòd resurrectio ampliùs non esset futura, quia illa erat facta in Christo, ex eo quòd sumus Christi membra, & non surrexit caput sine membris, revoco tamquam erroneam & hæreticam.

Sextam decimam, quòd asserui revelationem habuisse contra Presbyteros & audivisse vocem dicentem, *Ego veni ad mortificandum Presbyteros*, revoco tamquam supersticiosam & scandalosam.

Decimam septimam, quòd si nunquam prædica-

retur, non tamen ob hoc salvarentur pauciores homines, revoco tamquam malè sonantem, falsam, & erroneam, & piarum aurium offensivam.

Decimam octavam, quòd corrupta, si non haberet curam temporalem vel virum, esset ejusdem meriti sicut virgo, revoco tamquam falsam & erroneam & malè sonantem.

*Sequitur subsequenter cedula quam ego frater Vvillhelmus propria manu scripsi super articulis mihi impositis, eos abjurando & reprobando.*

**O**Mnibus notum sit quòd ego frater Vvillhelmus de Hildernissem delatus fui reverendissimo in Christo patri Domino Dei gratia Cameracensi Episcopo tamquam caput cum Ægidio Cantoris cujusdam sectæ seu seductionis qui se mutuò vocant homines intelligentiæ, ut dicitur. Quod simpliciter falsum est, quia ejus facta & dicta in sermonibus reprobavi postquam deceptiones ejus perfectè percepisti. Item eidem sum delatus tamquam consentiens sibi in hoc quòd dixit de se ipso: *Ego sum salvator hominum, & per me videbunt Christum, sicut per Christum patrem.* Hic dico quòd si in isto consentissem, seductor essem & contrarius doctrinæ catholicæ: quia Augustinus dicit, & omnes catholici doctores affirmant, tantùm Christum fore salvatorem & actorem salutis. Et nunquam aliter docui vel affirmavi. Item eidem delatus sum quòd prædicasset opinionem Ægidij, videlicet quòd diabolus finaliter salvabitur, sed tunc non erit diabolus, & superbissimus lucifer erit humillimus, & quòd finaliter omnes homines salvabuntur. Hic dico quòd ista contrariatur sacrae scripturæ & doctrinæ fidei catholicæ, quia scribitur: *Ibunt ij in vitam æternam, alij autem in ignem æternum.* Si ergo per beatum Augustinum

pœna

pœna malorum posset finire, sic potest & gloria bonorum finire. Quod omnino falsum est. Et in evangelio dicitur: *Iam iudicatus est diabolus.*

Item quòd consentiissem in hoc quòd diabolus non portavit Christum super pinnaculum templi. Hic concedo quòd hoc audiivi ab eo ultra duodecim annos, sed prætendebat corporaliter. Et postquam hoc ab eo audiivi, an corporaliter vel spiritualiter ipsum portavit dubitavi, quia determinatum ab Ecclesia non intellexi.

Item delatus est idem Ægidius Cantoris in quadragesima lactinia comedisse. Quod mihi constat. Sed quòd aliqui sectatores & sectatrices ejus continuassent nec curant jejunare quando sine nota exteriori comedere possunt, hoc in veritate Iesu Christi nunquam ab aliquo alio homine percepi, nec audiivi unquam dicere de aliquo qui carnes feriis sextis audeat comedere, quia de statutis & præceptis & ordinationibus Ecclesiæ non curare & dicere quod dictus facit quod disposuit, & ideo non opus formare orationes, sic dicere est facere contra ductum spiritus sancti, quia de ductu spiritus sancti est Ecclesiæ obedire juxta illud: *Subditi estote omni humane creature propter Deum.* Sed si tales aliqui sunt, decepti sunt. Item quòd non curant de confessione, sed solum ad præcavendum vexationes ostendunt se quandoque sacerdoti venialia confitendo, sed mortalia gravia ipsis intulerunt. Quòd hoc falsum est de persona mea sciunt perfectè plures fratres conventus mei. Hoc etiam scio esse falsum de illis qui solent mihi confiteri. Si tamen aliqui tales sunt, ficti duplices sunt & decepti, & spiritus sanctus fugit ab eis juxta illud: *Spiritus effugiet fictum.*

Item imitatores hujus sectæ, prout delati sunt Domino meo, rigorem pœnitentiæ non admittunt, tenentes quòd talibus non indigemus. Hic dico. Si

aliqui tales sunt, spiritui sancto contrarij sunt, qui perfectam pœnitentiam in homine perficit.

Item est quædam inter mulieres hujusmodi sectæ quæ non permittit se ab aliquo cognosci. Propter quod ab aliis prædictæ sectæ multas patitur molestias eam increpantibus quòd non utitur actu carnalis copulæ. Istud nunquam pervenit ad aures meas.

Item delatum est Domino meo Cameracensi quòd Ægidius habet modum specialem coeundi, non contra naturam, quali dicit Adam in paradiso fuisse usum; qualem modum prædictus frater Vilhelmus non sequitur. Hic dico quòd verum est, in quantum me tangit. Licet Ægidius per suspicionem suam aliquibus contrarium dixit, qui etiam ad innocentiam paradisi nunquam pervenit. Quod per famam contra dictum Ægidium laborantem credo verum.

Item eidem delatum est quòd sibi invicem idioma fabricant, actum carnalis copulæ vocant delectationem paradisi vel alio nomine aclivitatem, & sic de tali actu libidinoso, aliis non intelligentibus, bene loquuntur. Hic dico quòd in locutionibus & prædicationibus meis non aliis terminis quàm terminis sacre scripturæ usus fui. Occultavit enim mihi Ægidius ejus idiomata & eorum significata quantum potuit.

Item est quædam antiqua Domino delata, quam dictus Ægidius vocavit Seraphin pluribus audientibus, (Quod credo verum per famam) quæ palam dixit quòd licet extra matrimonium coitum exercere sine peccato. Ille enim actus est purè naturalis, sicut comedere & bibere. Et tamen illi actus reprobantur, & non isti. Vnde satis ista cum aliis miratur de cæcitate hominum communiter hoc consentientium. Hoc si sic dixit, valde malè dixit. Quia licet dicatur, *Vbi spiritus, ibi libertas*, tamen Paulus dicit eandem libertatem non fore dandam in occasionem

carnis, sed solum in illis actibus exercendam quos  
Christus in nobis operatur.

Item delatum est Domino meo Cameracensi quod  
est quædam maritata quæ non facit differentiam in-  
ter virum, sed quemlibet indifferenter admittit suis  
tempore & loco, & illud est quasi commune inter  
illos & illas. Istud non credo totaliter verum. Et si  
est illa quam æstimo, tunc non est talis, licet in par-  
te fragilis.

Item delatus fui Domino meo Cameracensi quod  
nemini ad plenum credo, nec quæ in me sentio ex-  
primo nisi illis qui sine Dei timore & conscientia  
scrupulo actu carnalis copulæ utuntur. Istud est fal-  
sum. Sed hoc potuit ex verbis Ægidij procedere.

Item delatus fui eidem quod dixissem omnia facta  
eorum posse salvari seu colorari per sacram scriptu-  
ram, dempto coitu ab Ecclesia damnato. Et ergo so-  
let movere sibi adhærentes quod cautè haberent se  
actu illicitæ copulæ conjugalis. Istud est falsum. Sed  
confitentibus mihi dixi quod omnino desisterent &  
Ægidium cum ejus loquela refutarent.

Item delatum est Domino meo Cameracensi quod  
prædicta Seraphin, dum aliqui loquebantur quod  
frater Vvihelmus compulsus erat revocare articulos  
quos prædicavit, respondit quod ipse non revoca-  
vit sed dixit ita, Non dixi, sed sic, addendo vel sub-  
trahendo, & sic transivit impune. unde magis re-  
putabatur dicta sua confirmare quàm revocare. Hic  
dico quod sicut conclusum fuit per reverendissimum  
Dominum Cameracensem dixi quod nunquam talia  
prædicavi, & si talia prædicassem, malè prædi-  
casssem.

Item delatum est Domino Cameracensi quod illi  
de prædicta secta omnes actus suos omnino nepha-  
rios referunt ad divinam voluntatem, dicentes Deum  
taliam velle, non quidem tantum permissiva ipsius



voluntate, sed beneplacita & efficaci. Hic dico quòd à me aliquis nunquam audivit talia. Scio enim quòd quicquid \* Deus voluntate efficaci illius est actor. Sed malorum actuum, ut sunt mali, non est auctor. Et per consequens ad voluntatem efficacem non sunt referibiles; nec est causa privationis, sed positionis.

Item delatum est Domino meo Cameracensi quòd extra muros Bruxellenses est quaedam turris cuiusdam Scabini prædicti oppidi ubi ad celebrandum sua conventicula conveniunt. Vbi dico quòd infra decem annos vel circiter non interfui talibus conventiculis, licèt infra tres annos cùm accessi sibi Ægidio denunciando turpia quæ de eo in villa dicebantur, dicendo sibi quòd talia nullo modo possent sustineri. Immo si congregationem mulierum ibi scivissem, nullo modo intrassem.

Item delatum est Domino meo prædicto quòd dicunt tempus veteris legis esse patris & tempus novæ legis esse filij, & pro nunc tempus esse spiritus sancti, quod dicunt esse tempus Helix, quo removebuntur scripturæ, ita ut quæ prius tanquam vera habebantur, jam refutentur, etiam & catholica doctrina, sicut & catholicæ veritates quæ consueverunt prædicari de paupertate, continentia, & obedientia; quarum virtutum oppositum, ut asserunt, est prædicandum hoc tempore spiritus sancti. Hic dico quòd talia nunquam audivi nec ab Ægidio nec ab aliis. Nec approbassem si audivissem, cùm implicat contradictionem. Vna enim veritas catholica alteri non contrariatur.

Item delatum est eidem quòd quicquid eis inspiratur seu ad intra suggeritur, æstimant quòd sit à spiritu sancto. Vnde multùm fatua scæpeditus laicus scæpius attentavit. Nam propter quandam factam sibi inspirationem ivit totus nudus quadam vice per

longam viam portans super caput suam scutellam cum carnibus deferendam cuidam pauperi. Hic dico quòd credo hoc fore verum de Ægidio, quia per nullius informationem fatetur se esse deceptum.

Item delatum est Domino Cameracensi quòd mirantur quòd aliquis se signat signo sanctæ crucis, penitentes: Estis vos adhuc benedicendus? Hic dico quòd hoc audivi à solo Ægidio tempore præterito, & non ab alio.

Item delatum est Domino Cameracensi ad quæstionem qua quæritur ab eis quid responderent si eis imponerentur credulitates supradictorum articulorum, responderent quòd negarent. Hic dico quòd qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem. Et per consequens per talem responsionem ostendunt se esse falsos, si est ita. quod tamen ignoro.

Item persuaserunt imitatores prædictæ sectæ, & præcipuè mulieres, aliquibus probis viris quòd de cetero nec publicè nec occultè prædicarent aut virginitatem nec recommendarent continentiam, asserentes nullam esse virginem, una tantùm dempta, quam dicunt esse sapientiam. Istud non pervenit ad aures meas in veritate.

Item delatum est Domino meo Cameracensi quòd de purgatorio sunt contrarij Ecclesiæ, similiter de inferno, & habent quendam singularem modum & fictum loquendi de illa materia. Hic dico quòd in ista materia nec alium modum nec alium sensum quàm modum & sensum sacre scripturæ habeo, nec habere volo.

In his omnibus me submitto ad correctionem & directionem reverendissimi patris in Christo Domini Dei gratia Cameracensis Episcopi.

Sententialiter in iis scriptis condemnamus. Verùm super aliis propositionibus tibi impositis, an easdem dogmatizaveras vel ne, veritatem diligentius per-

scrutari fecimus, denuntiante fama. Et licet contra te super hoc clamor famaue vehemens, non quidem de malivolis, sed à providis & honestis, invaluerit, non tamen super hiis plenariam probationem attingimus. Idcirco ut ibi purgationem recipias ubi nosceris diffamatus, te super illis propositionibus, quarum tenor sequitur est & talis.

Sequuntur propositiones falsæ, erroneæ, & hæreticæ, quas ego frater Vvilhelmus judicialiter abjuravi & adhuc abjuro, de quibus imposita est mihi canonica purgatio, quia super iis contra me fuit fama publica & vehemens suspicio.

Prima. Quòd expedit multis peccare propter occasionem dispositionis ad beneplacitum.

Secunda. Quòd actus coeundi naturaliter & tali intentione posset fieri quòd valeret tantum sicut oratio coram Deo.

Tertia. Quicumque cum cultu operum pœnitentiæ, jejunando, orando, & abstrahendo quòd naturæ delectabile est, licet in hoc se mortificet, tamen non indiget illis ad suam salutem; sed ille integerrimus & perfectissimus est qui de hoc non curat, nec in sua conscientia ullum remorsum facit.

Quarta. Quòd post quandam revelationem, in qua me à Deo complexatum & illuminatum fuisse asserui, dixi quòd eram totaliter alteratus & sine labore & studio intelligebam sacram scripturam & claris quàm antè, & quòd non poteram decipi, & quòd prædicationes meæ erant ultra humanum intellectum, & sermonem meum præferebam aliis, dicendo: Quando eram sicut vos; sed nunc aliter sum, & aliter intelligo. Et qui sermones meos audit, meram veritatem audit. Qui aliorum sermones audit, seducitur: quia alij prædicant mortem, ego verò vitam.

Quinta. Quòd homo ita potest uniri Deo in hac vita ut per actus exteriores qualescunque non peccaret.

Sexta. Quòd Pilatus, Cayphas, & Cayn non sunt damnati, sed peccatum.

Septima. Quòd aliquas propositiones, quas aliàs revocare debui, nec plenè nec debità revocavi, & quòd aliquas earum vel eis similes postea prædicavi.

Octava. Quòd quando aliquid erroneum, malè sonans, vel scandalosum prædicavi, si super ab aliquo interrogatus fuerim, statim illud negare consuevi & dicta mea glosari & interpretari.

ad purgationem canonicam cum septima manu tui ordinis infra mensem in manibus commissariorum nostrorum in villa prædicta Bruxellensi peragendum indicimus convictionis eorundem, tibi que pœnitentiam trium annorum in castro nostro de Sellis post dictas tuas abjuratorem, reprobationem, revocationem, purgationem per te ut suprà fiendas injungimus adimplendam. Alioquin quòd in uno conventuum tui ordinis extra nostram diocesim Cameraensem constitutorum per nos de consilio tui conventus Bruxellensis eligendo pro pœnitentia eadem, sine exeundo eundem conventum & ambitum ipsius, remaneas usque ad nostrum beneplacitum, & quòd de cetero à prædicationibus publicis vel privatis confessionibusque audiendis cesses penitens & omnino. Hæcque tibi injungimus sub juramento, & ad hoc te atque in expensis legitimis taxatione reservata condemnamus in iis scriptis.

Qua quidem sententia sic per nos, ut præmittitur, lata, præfatus frater Vvilhelmus de Hildernissen eandem ratam habendo, approbando, emologando, & confirmando, statim ipsam devotè & humiliter coram nobis quantum debuit adimplevit, revocationesque & abjuratorem sibi injunctas faciendo publicè & expressè atque præstando, promittens etiam & volens ipsam ulterius humiliter & devotè ubilibet locorum in eadem designatorum secundum

ipsius continentiam & tenorem absque fallo seu  
 fictione quibuscunque tenere & adimplere modo &  
 forma suprascriptis & in eadem latius expressis. In  
 quorum omnium & singulorum præmissorum testi-  
 monium præsentis litteras nostras sententiam & or-  
 dinationem suprascriptas in se cum revocatione ejul-  
 dem fratris Vvilhelmi & objuracione continentes per  
 dilectum & fidelem nostrum Notarium infrascriptum  
 in hanc publicam formam fieri & redigi mandavi-  
 mus, ac unà cum nostri sigilli appensionis signo &  
 subscriptione suis volumus munimine roborari.  
 Actum & datum in palatio nostro episcopali Came-  
 racensi sub anno ab incarnatione Domini millesimo  
 quadringentesimo undecimo, Indictione quarta,  
 mensis verò Iunij die duodecima, pontificatus san-  
 ctissimi in Christo patris & Domini nostri Domini  
 Iohannis divina providentia Papæ X XIII. anno  
 secundo, præsentibus in iis venerabili & religioso  
 Domino Iacobo Abbate monasterij sancti Auberti  
 Cameracensis, necnon venerabilibus & circumspice-  
 tis viris Dominis & magistris Rodulpho Presbyteri  
 Archidiacono Hasnoniensi in Ecclesia Cameracensi,  
 Henrico de Darnhen, Arnolde de Halle, Petro  
 Majoris, Heinrico Panneti, Nicolao Claiquin, Ay-  
 merico de Railhac, Petro Symonis, Petro Presby-  
 teri, & Petro de Hailles Cameracensis, Iohanne  
 de Atrio, Petro le Feurbisseur, sanctæ crucis, Ni-  
 colao Brassardi, Vvalthero de Opstall, & Iohanne  
 Nicolay sancti Gaugerici Cameracensis Ecclesiarum  
 Canonicis, necnon Dominis Iohanne Blanclion bea-  
 tæ Mariæ Magdalenæ, Iohanne le Gondale sancti  
 Martini, Iacobo le Solbier sancti Vedasti, & Iohan-  
 ne Hedrot sancti Nicolai Cameracensis Ecclesiarum  
 Curatorum ungeronum, ac Dominis Francisco de  
 Carnin Canonico dictæ Ecclesiæ sancti Gaugerici,  
 Arnolde Logier Presbyteris Curato sancti Martini

Cameracensis, Iohanne Majoris & Petro Hardit Notariis publicis, Petroque le May & Nicolao le Vente servitoribus nostris, aliisque quampluribus in multitudine copiosa existentibus ibidem & præsensentibus tam clericis quàm laicis testibus ad præmissa omnia & singula vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Arnulphus de Poest Clericus Cameracensis diocesis, publicus apostolica & imperiali auctoritatibus venerabilisque curiæ Cameracensis Notarius & Auditor, ac præfati reverendissimi in Christo patris & Domini mei Domini Episcopi Cameracensis in hac causa coram eo scriba juratus, quia præmissis sententiæ prolationi, revocationi, abjurationi, approbationi, emologationi, promissioni, ceterisque omnibus & singulis suprascriptis, dum per prædictum reverendissimum patrem & coram eo in modum agerentur & fierent suprascriptum, unà cum prænominatis testibus præsens vocatus interfui, eaque sic fieri vidi & audivi, idcirco has præsentis litteras super hoc de mandato ipsius reverendissimi patris confectas, in hanc publicam formam redactas, manu mea propria scriptas, unà cum ipsius reverendissimi patris ac Domini Domini Episcopi Cameracensis appensione sigilli, signo meo solito & consueto hic me eadem manu subscribens signavi & roboravi requisitus in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum.

